



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119177**

§. 72. Ægidius Carillus Albernotius Cardinalis mortuus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

restauranda Regulari observantia, & Religionis, ac Religiosorum commodo plurima edidit decreta ab ipso summo Pontifice maximi habita.

Sæc. XVII.  
A. C. 1649.

§. LXXII.

*Ægidius Carillus Albernotius Cardinalis mortuus.*

Alter ex Purpuratis, qui hoc anno obiit, erat Ægidius Carillus Albernotius natione Hispanus, qui jurisprudentiæ scientia clarissimus ad præcipuos civiles Regni Magistratus assumebatur, atque in Granatensem & Vallisoletanum Auditorem, & Pampilonensem Præsidem nominatus, ex Inquisitore Archidiaconus Burgensis, demum vero ad Hispani Regis preces Cardinalis, & postea Archiepiscopus Tarentinus renunciatus est. Hac vero Ecclesia sponte dimissa Romæ Catholici Regis negotia Orator non sine magna Regni utilitate, propriique nominis gloria usque ad extremum vitæ habitum procurabat; moribus enim suavissimis præditus, æque ac viligantissimus, rerumque politicarum apprime instructus, gravissima quæque negotia mira laboris facilitate, & successus felicitate expediverat. Tandem vero senio & vigiliis fractus, die vigesima

Victorel. in  
addit. ad  
Ciacon. Ug-  
hell. Ital.  
Sac.

De-



Sæc. XVII. Decembris Romæ decessit, tumultus  
A. C. 1649. in Ecclesia S. Annæ.

## §. LXXIII.

*Alberti Ratisbonensis Episcopi extrema.*

*Brach. Hist. lib. 7.* **P**ari fato rebus humanis hoc anno valedixerat Albertus ex nobilissima Comitum de Törring prosapia ortus. Hic per triginta sex annos inter plurimas belli molestias, variosque casus maxima cum laude Ratisbonensem Ecclesiam Episcopus rexerat, cui Franciscus Guilielmus Osnabrugensis Episcopus successit.

## §. LXXIV.

*Innocentii X. Papæ Constitutiones.*

*Bull. Magn. Const. 30. Innoc. X.* **P**rodiit die tertia Maij Apostolicum diploma, quo Innocentius X. Pontifex Maximus pro anno hujus sæculi quinquagesimo Jubilæum indixit, atque alia Constitutione die sexta ejusdem Mensis omnes indulgentias etiam perpetuas ita suspendit, ut hæ eodem anno durante, nemini prodesse, aut suffragari possent. Pariter die secunda Januarii decreta & Constitutiones Monachorum Ordinis S. Basilii auctoritate Apostolica confirmavit, & circa  
 nume-